

tionem exercet in ratione duplicata in-
versa distantia, & singulae globi terrestris
particulæ eandem servant attractionis le-
gem; at si lex attractionis ex duobus com-
ponatur terminis, jam attractio particula-
rum & sphaeræ totius eadem non est: E-
go &c.

Resp. Concedo maj. Nego min. Eandem
quidem legem attractionis in sphaerarum
particulis demonstrant geometrae & nos
quoque facili ratiocinatione ostendimus.
At corporis totius singularumque partium
eandem esse legem in solis sphaeris dun-
taxat invenerunt physici; minime vero in
sphaeroidibus aliisque corporibus, quæ in
rerum natura occurrunt. Et quidem si po-
namus singulas materiae particulas, quæ
corpus aliquod componunt trahere punctum
quodlibet datum ad distantiam quamlibet,
evidens est singulas corporis attrahentis par-
ticulas respectu puncti attracti diverse po-
sitas esse, ac proinde particularum vires
diversam habere directionem diversamque
mensuram. Quare cum attractio tota ver-
sus punctum aliquod nihil aliud sit quam
vis unica ex viribus singulis resultans &
in datam directionem unicam composita,
patet in diversis corporibus pro varia par-
tium positione diversam quoque esse posse
attractionis legem. Et re quidem ipsa hæc
attractionis lex in ratione scilicet directa
massæ & duplicata inversa distantia in
paucissimis duntaxat corporibus obtinet: E.
G. in sphaeris utcumque magnis, quod jam
demonstratum est. Tandem hæc objectio ad
nostræ conclusionis sensum minime accom-